88. 4

POLYGRAPHIA
RONCILIONENSIVM:

In qua

CIMINII RONCILIONIS ornamenta, Dotes, Artes, Ritus, & Mores fideliſſimè deſcribuntur.

PAPIRIO SERANGELIO
à Turribus Sabinis Auctore.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUEL



RONCILIONI,
Apud Colaldum, & Dominicum de Dominicis. 1609.
SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRIBVS DD.

PRIORIBVS,

ATQ; VNIVERSITATI POPVLI, RONCILIONENSIVM.

PAPIRIVS SERANGELIVS A TVRRIBVS SABINIS S. P. D.

EXardeſcebat animus ſpectantiſſimi Ciues, vt Roncilionenſem ſplendorem, tamquam inſigni loco multis de cauſis obſtrictus, quiq; me ſibi ſingularibus officijs demeruerat, meæ in illum obſeruantiæ propenſiq; animi teſtimonio proſequerer; & quod re ipſa propter ingenij tenuitatem plenè præſtare non poteram, aliqua tamen animi ignificatione inſinuarem. Diu cogitanti qua ratione liuturnis optatis ſatisfacerem; & amicorum petitionem apud me valere probarem, hæc tandem ſententia ccurrit, vt quoquo modo languidiuſculæ Muſæ facul-as pateretur, quæ in præſenti conſpiciuntur, & oculata fide affirmare liceret, loci dotes, ornamenta, conitiones, & induſtrias carmine qualicunq; complecteer; quale ab eo conderetur, qui ne eo quidem honoe dignatus eſt, vt Pegaſeo equo ſtramina ſubſterne-

nens, vt tenuem hunc laborem, inclitæ Patriæ veſtræ dicatum, hilari animo accipiatis precibus omnibus contendo; conſuetamq; beneuolentiam, vt mihi conſeruetis etiam atq; etiam obteſtor. Valete.

Datum Roncilioni Nonis Nouembris. M. D C. IX.

POLYGRAPHIA

RONCILIONENSIVM;

IN QVA CIMINII RONCILIONIS ornamenta, Dotes, Artes, Ritus, & Mores fideliſſimè deſcribuntur.

PAPIRIO SERANGELIO A TVRRIBVS Sabinis Auctore.

MVnera fęlici retulit quæ ſplendida fato
Roncilio, Tuſcos celeberrimus inter honores,
Ardeſcit rauco pectus percurrere plectro:
Auſpicijs Catherina tuis ſanctiſſima Virgo
Hos petij, tenuiq, ſinus, dulceſq; peregi
Exutus curis, tranquilla per ocia menſes:
Adſis Diua precor, fragilemq; per æquora cymbam
Numine da dextro placidos apprendere portus.
Induit in florem bis ter fæcundior arbos,
Et totidem Cereris decorarunt tempora meſſes,
Sordidus expreſſit bis ternas Vinitor vuas;
Terrificus bis ter Boreas bacchatus in Orbem eſt;
Excepit gremio cum me blandiſſima tellus,
Heſperias inter titulis cumulanda ſuperbis
Roncilio; Diuum atq; hominum pulcherrima donis:
Percupidas quondam volitans impleuerat aures
Famà loci, celebranda quidem per ſæcula, honorq;

Vbere frugifero, generoſo pectore gentis,
Adde his roriferi placido moderamine cęli :
Accidit ergo Patrum, quo me ſpectabilis ordo
Sedibus à patrijs, dilectæ à fronte parentis
Acciret,ſtipemq; daret, munuſq; docendi
Infirmis humeris impar, triſtemuè; laborem
Traderet, vt ferula pubes excuſſa ſeuera
Illuſtret patrios olim, decoretq; penates:
Grandia pertenues detrectant munera vires ,
Conſpicuas humili celebrandi carmine partes :
Et tamen ingratæ metuunt culpamina mentis ;
Quòd ſi debetur celſis quæ gratia tectis
Muſa loqui exhorret,ne grandibus excidat auſis,
Officioſa Notis pauitantia vela voluntas
Conſcia det ſaltem,& per concaua littora curſus .
Qui fuerit Patriæ inſignis fundator, & auctor ,
Non penitus tacuiſſe iuuat, quandoq; moretur
Quamuis lectorem varius per deuia ſcriptor ;
Aſt ſincera fides, nullo perfuſaq; fuco
Littoreo paſſa eſt libari hac margine pauca :
Clarus Alexander ſtudio Peſantius alto
Doctrina rerum mire verſatus in omni,
Teſtantur vigiles ſtupido lectore labores;
Gallia de magnis iterum per Regna vagatus,
Rettulit hoſpitio fauſti quandoq; receptum
Nobilitate loci noctesq; fuiſſe dieſq; ,
Nomine Roſſilion, rufos qui inſigne Leones
Oſtendit geminos, antiqua hortamina gentis,
Inter Vaſcones, ac Principis arua Bearnes ;
Acrias arces celſa tenet iſte Pirene ,
Gallica quæ Hiſpanis ſecernunt Regna tropheis :
At poſtquam Heſperios voluit penetrare receſſus
Legibus Imperio, geſtis, & nomine Magnus
Carolus, & Gallos Preceres Romana videre

Tecta

Tecta, ſatis Cymini captus mulcedine cęli
Mænibus anguſtis poſuit fundamina prima,
Illius & grati cum nomine Roſſilionis
Stemmata ruforum hæc placuit fulgere Leonum:
Lilia cum verò longo poſt tempore ſena
Pace regunt placida imperium, moderamine ſancto
Concordes habuit ſtabilis ſententia Patres
Ceruleum antiquis florem ſuper addere ſignis:
Stringere terribiles ambos falcemq; Leones
Falce reſecturos ſuaui mala gramina flori;
Egregiæ prolis caſus teſtata per omnes
Intrepido aduerſis animo concurrere telis.
Præterea voluens veterum monumenta Virorum
Pontianus, Muti gaudens cognomine Auito,
Tempora cui cingit Iuris venerabile Numen
Contulit ex tabulis hæc iam collecta vetuſtis:
Bis ſex centenos à partu Virginis annos,
Præfectos Vici, antiquo ſic nomine dictos,
Imperium tenuiſſe diu, Dominoſq; vocatos:
Nominis Eugenio Quarti Romana tenente
Sceptra manu, & Petri redimito tempora Mithra;
Mittitur in Cyminos Aquilenſis Murice clarus,
Purpureo Ludouicus, claruſq; Galero,
Legatus qui tum regeret Patrimonia rite;
Impetrat Euerſus Comes, huic inſignia nota
Dant geminæ Anguillæ iungi cùm legibus agros,
Roncilionenſi Vicenſes, ac Marianos;
Imperat iſq; diu; donec furialibus auſis
Tolluntur Comites Præfecti, exinde ſolutę
Et ſcelere, & ſæua purgando morte reatu
Pontifici ſummo validæ redduntur habenæ:
Subdita ſupremo fuerant confinia ſceptro,
Vertice multorum radians fulſitq; Tyara,
Cum domus illuſtris recipit Farneſia ſceptrum,

Ob merita, & celebres Romana in tempora geſtus,
Confeſſu plaudente Patrum, quos Purpura velat;
Et quas à cætu leges acceperat alto,
Munere Alexander fungens Farneſius ingens
Cardinis, excelſa firmauit fronte, animoq;
Et geminos ijſdem voluit gaudere Leones:
Hi ſileant ergo, ambiguo ne errore trahantur
Mænia qui hæc Vici pugnant extructa ruinis.
A Sylla Rus Syllanum deducere nomen
Vult Raphael, tamquam fęlicis prædia Syllæ,
Atq; alios aliter video ſentire, ſed inter
Se certent, redeant traiecti pectora telis:
Hoc animus flagrat, præſentia ſcribere tantum
Tempora, certa fides quæ nulli obnoxia culpæ
Teſtetur, ſeruetq; ſuum inuiolata decorem.
Inſigni poſita eſt gremio digniſſima Moles
Exortu primo radians quod Apollo ſalutat,
Flammiferoq; loci curru proſpectat honores,
Depreſſa non valle ſitos, nec collibus altos;
Aſt ita diſpoſitos, rerum vt Natura teneret
Ingenioſa modos, nulli culpanda ſuperbo:
Vndiq; præcingunt peramæni margine colles
Frugifero; quales nec Corcireia rura
Heſperidumue horti ſpectant, ſeu Theſſala Tempe.
Farneſiorum dominium. Perpetua hic Ditione potens Farneſia Proles
Imperia exercet, ſpatioſi digna Propago
Imperio Mundi, plectro meliore canenda:
Regia Progenies, præſentis gloria ſæcli,
Vber Auis, Atauiſq; immenſo,& cardine rerum
Geſtarum;horriſono;vel Marte tonante per Orbem,
Concordi, vel Pace vago plaudente volatu.
Nunc duo collucent radiantia ſidera terris,
Cęleſtes peritura ſinus; vbi lumine tellus
Vſa erit illuſtri; quorum rutilante Galero

Murice

Murice conſpicuum conſeſſus alterum honeſtat
Cardineis titulis, meritò pars maxima Patrum,
Excelſus, virtute micans generoſa ODOARDVS,
Relligione frequens; inopum tutela, beniſq;
Officioſa gerens profuſis pectora palmis;
Alterum in horriſonis alacris RANVTIVS armis
Parmenſi aſſiſtit ſceptro, ſplendore triumphans,
Atq; Placentino; ſubiectas inclytus Vrbes
Cum ditione regens, Regno exoptabilis omni;
Moribus hic patrijs, ſumma pietate, fideq;
Sceptra tenet,mollitq; animos, & temperat iras;
Nec minus indomitis vindex, terrorq; ſuperbis.
Has igitur ſedes, hæc inuidioſa ſub axe
Męnia ſtellifero, Diuis mirantibus, alto,
Egregij fratres meritò Ditionis honores
Supremos retuliſſe volunt; primaſq; tenere
Inuidioſo alias inter cum nomine partes;
Arguta cauſæ tum cognitione forenſis;
Ciuilis cum cauſa trahit, vel crimina Ciues,
Sic ratione ſitus poſita, ac dimenſa locorum;
Subdita Iudicium vindex huc oppida cogit;
Area formoſæ propior ſedet aurea Capræ, — Oppida ſtatus.
Florida rident ſequitur quam Fabrica vultu,
Nec iuga detrectant nemoroſæ tecta Capenæ,
Arua ſibi plaudunt lętiſq; Valeria fatis,
Corchianum aſſurgitq; libens, metuitq; Tribunal,
Annuit Eliæ iam non ignobile Caſtrum,
Parua Leonardi concedunt męnia nulli,
Seiunctuſq, fidem retinet Caſtilio pactam.
Tum rerum verſat multo quem copia nummo,
Libera ſunt etenim, multiſq; negocia rebus,
Oppida comportant multa,aſportantq; propinqua,
Saturni ſcit læta dies, cum merce reccurrens
Mane forum ſummo cępit feruere repletum.

Situs. Mænia ſunt partim modulo conſtructa vetuſto
Scilicet inferius, cum quondam tecta colonus
Incoluit primus; non magna at robore firma,
Inuictoq; loco, pallore interrita ab omni
Terreat aſperitas potius, quàm prouocet hoſtem.
At noua materies ſęclo congeſta recenti,
Ingenio meliori nitet; Farneſia poſtquam
Suſtinuere alto faſtigia vertice Mithram;
Auxit opes, animoſq; ſimul, nomenq; decuſq;
Et facilem PAVLVS curſum patefecit ad Aſtra,
Poſteritate vigens, famamq; daturus in æuum:
Hinc data nobilium populo primordia rerum;
Plurima magnifico fundata palatia ſaxo,
Atriaq; ampla domum, ſpatioſo limine valuæ;
Et molli greſſu ſplendentia ſtrata viarum

Forum. In medio ſpectaſſe forum, quod more Theatri
Non humiles cingunt ædes; mediumq; tenere
Inde fori fontem; peregrè quos tempora iactant,

Fons. Indigenaſq; iuuat, lympha ſaliente perennem:
Conſpicuus fons, & Cymina celebratus in òra;
Vbere tum laticis largo; quem Lilia ſena,
Monoceros ternus patulo fæcundus ab ore,
Senaq; iucundo cum murmure fiſtula fundit;
Marmore tum nitido, artificiſq; nitentior arte:
Suſtinet hic greſſum feſſus de calle viator,
Et vitrea recreatus aqua, miratus & artem
Grates gratus agit, lætuſq; à fonte recedit.

Templum de Populo. Eſt prope Chriſtiparæ Templum, cognomine dicunt
De populo, præſunt Carmeli dogmate Fratres;
Excelſum, populoq; frequens, tum numine Diuæ,
Tum pietate patrum; ſigniſq; excelſius almæ
Virginis in miſeros, latè fulgentibus omnes.

Curia. Curia ſtat contra patrum, ſanctiq; Senatus,
Regia, conſulitur patriæ hic, regimenq; tenendum

Tempora quod poſcunt, ſtudio, curaq; ſeuera
Diſcutitur, deſit populo ne copia victus
Aurea tranquilla peragantur ſecula pace
Iuraq; ſeruentur ſemper metuenda ſuperbis.
Poſtibus in ſultis fidei monumenta tenacis
Nobilis antiqua ſeruatur Stemmate imago — Stemma.
Punicei rigida gemini cum falce Leones
Cerulei floris cultu ſtudioſus vterq; ,
Noxia queq; obſtent abſcindere falce paratus :
Publica Res animo tales imitata Leones
Affixam colit intrepido, ſpectatq; figuram.
Mirifico cernes extructum limine primo — Archiuiũ.
Archiuium ſumptu; Scribarum tuta tabellis
Moles, cana fides vbi dulcia pignora ſeruat ;
Hanc voluere patres ODOARDI nutibus acti
Extolli, egregio, ac reddi pictore decoram,
Marmoreoſq; Abacos, foribuſq; ſeriſq; fideles :
Fęlicis proprium Ditionis ſubdita quęq;
A patribus retulere locum, quo lumine clauſo
Scribarum præſcripta volumina conferat hæres.
Splendida contiguus iungit Prætoria Iudex; — Forum Iudicis.
Omnibus hic vigili redduntur iura lucerna,
Lance ſedens Aſtrea potens ſupereminet æqua;
Non erepta gemit vjuax ſibi præmia Virtus,
Et merita ſontes plectuntur crimine pęna :
Aſſiſtunt miſeris Iuris Legumq; periti,
Prædita namq; horum fulget ſplendore caterua ;
Scribarumq; cohors, iuſto qui Iudice cauſas
Nituntur veteres incidere, ne ſua pauper
Exhauſtis damnet loculis diſpendia triſtis.
Moribus, ingenio celebris, vultuq, verendus
Arbitrio cauſas nunc cenſet; crimina plectit;
Iudicioq; graui Regalis ſigna pudoris
Patritio referens Lucenſi ſanguine cretus

Nicoleos

Nicoleos Patriæ, gen eriſq; inſigne decorum
Baſchius, vnanimi populos in pace ſecundat:
Virgulto à Criptis acri quæſtore Camillo
Vtraq; quem comit diuini Laurea Iuris.

Arx. Panditur exortus radiantis lumina Phębi
Aurea vt excipiat, cęlumq; expurget apertum;
Ardua ſuſpiciunt hinc propugnacula gentes,
Turrita ſurgunt quæ Mole, Arcemq; ſuperbam
Nobile opus; ſubitis præſens tutela periclis,
Numquam expugnato triplici circundata muro:
Hæc circumfuſos ſpeculata è culmine colles,
Hoſtiles ridet tranquilla per ocia fraudes.
Ferrea non ſegn is conſeruat limina Præſes,
Quæſtio cui dubiæ popularis tradita cauſæ eſt,
Vectigalq; ſuo condat qui tempore lætum
Fraude procul, pingui ſtipetq; penaria meſſe.

Templa. Succinctis bis terna quidem perculta Miniſtris
Panchęo Delubra pium redolentia Thure
Sunt, vbi vota Deo ſoluuntur caſta, preceſq;
Munia prima tenet Coſti pulcherrima Proles
Ominibus Catherina bonis, venerabile Numen,
Virgoq; virgineo fęlix non vltima cętu,
Cognita dilectæ protectrix ſedula Terræ,
Siue artus vexet languor, ſiue horrida cęlo
Tempeſtas minitans aruis, ſpolietué colonum
Diuite ſpe; vitio aut quondam ſata lęta laborent:
Martiris exorant omnes pia numina Diuæ,
Triſtia mordaces ſtringant ſeu pectora curæ,
Morbida langueſcant ſeu forte armenta per herbas.

Societates téplorum. Bis ſeptenus habet fratrum ſublimia Templa
Cultibus ordo ſuis, varioq; in nomine ſignis:
Horum ſpectare eſt veneranda ſilentia ſacris,
Supplice cum patrios perluſtrant agmine fines;
Succinctaq; manus Aris, adolere Sacerdos

Cum

Cum parat; & meritas Diuis perſoluere grates;
Imminet his Aras cultu exornare decenti,
Perſpicuas vernis conſpergere floribus Aedes,
Feſtaq; odoratis innectere limina ſertis,
Atraq; deſunctum deferre ad buſta cadauer.
Iungitur his Patriæ ornatus, celebrandus, & ipſe, Cãtores.
Cantorum Chorus eximius; modulamina vocum
Cuius Apollineos imitantur dulcia cantus:
Vbera diuino Euterpe huic bene turgida lacte
Exhibuit, Diuæ cumulant ſua dona Sorores;
Hic pinguis Patri cum mittitur Hoſtia ſummo,
Et ſacris accinctus adeſt cum Thure Miniſter
Mollibus æthereas permulcet cantibus Auras.
Aſt quoties animos iuuat oblectaſſe iacentes,
Pierijſq; Choris Ciues hilaraſſe remiſſos,
Concentus reſonare vides ſuper æthera miros,
Senſibus arrectis cupidaſq; accurrere Turbas;
Non aliter, ſuperans quàm ſi remearit ad oras
Calliopes Phæbiq; genus, vel dulcis Arion.
Grande opus affertur Martis deſcribere prolem Militia.
Egregiam bello, cinctam fulgentibus armis,
Robore preſtantem, intrepidam, criſtiſq; decoram;
Magnanimoſq; Duces, fortes de more Tribunos,
Signiferoſq; acres numeroſo milite cinctos,
Horrida Cæſareo indomitoq; ad prælia corde,
Aut Tuba terribilis, ſtrepitoſa, aut Timpana dulci
Si quando reuocent agro, Martemq; fatigent.
Scit memoranda dies, acies cum denſa Latronum
Dux erat infamis Marcus cognomine Sciarra, Cõflictus.
Ad Vicum, ſcelerata cohors quem fraude tenebat
Excipit impauido funeſtas milite pugnas;
Expertus poſſet quid tum Pauonia virtus
Qua Duce pugnatum ſæuis eſt cominus armis;
Concuſſa horrebant reſonantes æthera Bombos,

Cum

Cum poſt conflictus dubios, Phębumq, cadentem
Auxilijs nullis, generoſæ corde Phalangis
Hoſtis ab inuicto turbatus Marte fugatur:
Et qui permultas vaſtabat perfidus oras,
Heſperiæ terror, ſuperis inuiſus & imis,
Roncilionęis eſt tandem pulſus ab armis
Senſit & indomitum violenta ad prelia robur.

Equitatus | Fulmineas equitum Turmas, Germania quales
Lactea nec genuit meliores Gallia quondam:
Admiranda quidem præſtant ſpectacula ſummi
Principis vt iuſſu, cupidęq; indagine mentis,
Aut ſtudium Campus Dux perſpexiſſe laborat:
Quadrupedes mandat ſtratos, equiteſq; decoris
Pręcinctos armis agiles conſidere dorſo;
Lilia cum ſagulis fulgent, hinnitibus auræ
Implentur, curſuq; cito haud ſignantur arenæ
Eſt operæ precium cæpto iunxiſſe labori,
Qui vitam vberiore petant producere quæſtu
Atq; auidos opibus tendant augere penates:
Et qui ſordidulæ foueant connubia cara
Artis ope, & parce natis alimenta reponant:
Qui referent amplas peregrinis mane tabernas
Mercibus, Eoa, aut Boreali parte coactas.

Medicus. | Quæritur in primis laudata lege ſalubri
Moribus inſignis, doctrina, ac mente pudica
Languores ægra tollat qui parte latentes;
Artubus optatam reparet, ſeruetq; ſalutem;
Membraq; viuaci foueat ſpe credita curę
Præmia quippe animo penduntur grata libenti;
Publica namq; memor ſtudiorum cedere triſtes
Res patitur nullos, ſtipemq; acceſſibus æquam
Nititur, & læto ſolarier ære labores.
Noctes atq; dies ſolerti culta Miniſtro

Aromatariæ. | Bina patent morbis pręclara huic tecta fugandis;

Pharmaca,

Pharmaca, tolle moras, hauſtus, fomenta parantur;
Aſſirios olim caſus cum poſcit odores,
Pyxide præſidijs hominum ſeruantur eburna;
Triſtia turgentes purgant cathartica ventres :
Attica non deſuant lautis bellaria menſis,
Saccareo guſtus opere oblectare remiſſos
Hinc licet, & plenis deſumere dulcia palmis.
Excipiunt miſeras tria ſemper limina turbas,
Argumentum ingens animi pietate nitentis,
Omnibus officijs vbi mollis copia lecti,
Hoſpitiumq; datur gratum, requieſq; viarum :
Languida conueniunt huc agmina, cuncta benigne
Excipiuntur, opes medicæ præſtantur, & artes;
Hic pietas viget inſignis, ſtudiumq; paternum
In miſeros, atra ſeruati vt morte recedant
Supplicibus grati votis, paſſimq; loquantur
Afflictis caros illic aſtare parentes.
Textilibus loca bina patent lætantia pannis,
Nobilium longo acceſſu celebrata Virorum;
Hinc ſibi quiſq; feret molli velamina lana,
Seu quæ longinqui tranſmittunt vellera Seres,
Seu quæ Teutonici depictæ ſtamina telæ :
Adde his argenti, atq; auri ſegmenta micantis
Veſtibus ornandis, hilari geſtamina ſponſæ :
Adde laboratas mittit quas Adria cæras,
Plurimaq; ad noſtras mittit quæ cinnama terras
India, odorato, fuſcoq; habitata colono;
Hoſpitis aduentum metuat ne candidus hoſpes :
Hic poterit diues loculos haurire ſonantes;
Aera niſi at cupidæ reſpondent paruula menti,
Sat leuiore poteſt pauper procedere ſumptu.
Ecce ope non ſegni chirurga doctior arte
Tonſorum ſpectata cohors, animoq; fideq;
Radendis ſtudioſa genis, ſtudioſa lauandis,

Hoſpitalia.

Pannariæ tabernæ.

Chirurgi, & tonſores.

Comendæ in primis molli ſtudioſa iuuentæ :
Quam bene tonſtrinas iuuat horum intraſſe nitẽtes,
Candidiora niue hinc atq; hinc redolentia grato
Lintea pendere afflatu, & formata figuris
Vaſa nouis, picta aulæa, inſtrumentaq; fida
Laudato celereſq; manus, vultumq; ſerenum.

Aurifices. Anulus argento, aut flauo formatus ab auro
Conficitur ſponſæ, & gemmata monilia collo;
Blanda parens tenero petit hinc munuſcula nato,
Inſtrumenta ſacras decorant argentea menſas,
Et cælata capit veterem cratera Lyeum.

Inſtitores Impiger extrema ſurgit non parte locandus
Inſtitor, inſano proclamans pondere preſſus,
Inſtructus latas ſpecioſa merce tabernas
Puniceis vittis, croceis, niueiſq; puellas
Queis capiat faciles, trudatq; in retia ceruam.

TYPVS. Haud minima accedit ſignandæ fama papyri,
Et formata Typis quæq; exemplaria claris;
Pierij condunt ſi ſacra poemata Vates,
Ordine percurrunt rerum, ſeu geſta ſoluto,
Impreſſis formata notis lux poſtera reddit.

Fabri Ferrarij. Fabrorum ſequitur, dura qui incude laborem
Inſomnem calloſa manus verſantq; fouentq;
Criſtatæ præeunt hi cantus alitis arte;
Vomeris obtuſi dentem, falceſq; ſecures,
Sarcula cum raſtris, terebras, duroſq; ligones
Conficiunt, reparantq; breui ſua commoda Villæ,
Et ſolea fulcitur equi pes corneus acris.
Vſus præterea quæ ſorte domeſticus olim
Expoſcit, tanta eſt artis ſolertia; miſſus
Vix puer, ad dominum referet quęcumq; neceſſe eſt:
Hi medicas adhibentq; manus, correpta latenti
Si morbo iumenta forent, vel vulnere læſa,
Aut celeri ſonipes curſu luxauerit artus.

Sunt

Sunt lapides alta duros qui rupe recidunt, | Lapicidę
Poſtibus exculptos vt reddant, limina firment,
Saxa parent gradibus ſolidis, cędantq; caminis,
Læuia frigent i ponantq; ſedilia caute;
Et niteant vitrei lucente crepidine fontes.
Aedificant alij, faſtigia ducere ad auras
Magnificęq; domus fundamina ponere docti; | Fabri murarij.
Pendula conuexo fingunt in fornice tecta,
Marmoreos poſtes, Triclinia ſplendida, cellas:
Aeſtiuos modulis radios ſolertibus arcent,
A rigidi Boreæ tutantur flatibus aedes:
Eſt horum ſtrauiſſe vias; operumq; labores
Reddere perpetuos, vlla nec labe notandos.
His iungi fas eſt quibus eſt menſura decori
Aequora qui modulis, agros, monteſq; lacuſq;, | Geometrę.
Qui ſiluas, valleſq; ſimul faſtigia celſa
Expendant, domibus precium, mentemq; quietam
Emptori præſtent, triſtis neu venditor erret:
Metentur qui caſtra loco, qui feruida bello
Agmina diſponant, proprioq; in limite ſiſtant.
Dedaleas artes, iam roboreoſq; triumphos
Qui curent, ſectaq; parent ex arbore quæſtus, | Fabri lignarij.
Denegat occulto dimitti carmine Muſa:
His curę eſt aſſes operi contexere læues,
Eſt tectis aptare trabes, menſaſq; ſuperbas
Conſtruere; & ſellas ſcite componere acernas,
Fulcraq, nocturno moliri fagina ſomno;
Cæteraq; innumero quæ non comprendere verſu
Fert animus, tanta eſt ex ſecto induſtria ligno.
Dependent raſtris arguto ex ære lebetes,
Et patulæ pelues, & ahena vndantia flammis, | Fabri ærarij.
Protinus hinc formas quaſcunq; accerſe decentes;
Malleus horriſonas iam plures ære fatigat
Incûdes, vigiliemq; trahunt per murmura noctem

Vicini inuitoq; iuuat producere luſu.
Sarciuatores. Indumenta, parant alij ſplendore decora
Fęmineos cultus, clamydes, rituſq; viriles,
Hiſpano ſeu more cupis, cupiaſuè Latino:
Textile opus fidei tuto committe, nec vltra.
Sit metus, infandi horreſcunt nam crimina furti
Tempora ni occultę compellant commoda prędę.
Sutores. En ſutor teneris pedibus talaria nectit,
Qualia nec poſuit Cyllenius optima plantis;
Frigora quæ domitēt crepidas, habileſq; cothurnos;
Calceus imbriferis nunquam non ſuppetit Auſtris,
Et leuior Phæbi rapidos qui temperet æſtus;
Purpureo, niueoq; velis, vel tergore fuſco:
Munera dilectæ quod ſi quærenda puellæ,
Comptaq; quo mulier ſit parte decentior omni
Hinc pete, ſic roſeis victor dabis oſcula labris.
Pilearij. Liberioris habet vitæ ſibi Peleus ædes,
Grandia lucra ferens, multiſq; alimenta miniſtrās;
Amiſſum reparat proprium, retinetq; colorem,
Vt quem prima manus dederat nil differat illo.
Armamētarij. Effingunt alij cultros, gladioſq; minaces,
Collectos armant ad pugnas Martis alumnos;
Et raptim fulgere vides tota agmina in armis,
Dulcia diſrumpat ſi præceps ocia Erinnys:
Terguntur ſcabra quæ ſunt rubigine læſa:
Circuit agreſtis ferro præcinctus acuto
Arceat à patrio rabidos vt limite fures:
Textores. Qui radio tenues, arguto & pectine telas
Percurrunt, gracili iungentes ſtamina filo,
Textorum ecce manus, ventis inimica proteruis:
Eſt qui Cecropiam pingendo vincat Arachnem;
Candida qui lautis texat mantilia menſis,
Niliaco demum exoptes quod fingere lino,
Hic potes; & natæ præclarum ponere mundum.

Miſſile qui torquent concuſſa per aera plumbum
Horrendo tormenta ſono, tonitruq; coruſco
Aptatur bello, & ſeuis inimica Tyrannis:
His patiens telis, canibuſq; accinctus odoris
Venator ſectatur apros, capreaſq; fugaces. — Tormentarij.
Clitellas mulo, aut pigro qui formet aſello,
Vſq; adeò pilos qui carminet alter, & alter,
Puluere plena gemens ſpectatur guttura ſicco. — Clitellarij.
Serica ſpumanti finguntur ephippia manno,
Flectendo validæ collo nectuntur habenæ,
Seuaq; confoſſo lateri calcaria pendent. — Ephippiarij.
Multiplici ſpecie maiores, atq; minores
Conficiunt alij clauos, multumq; peculi
Stipant, iucundo ſolantes ære laborem;
Copia portatur diuerſa per oppida, præter
Inſertant operi ciues quos ſemper honeſto: — Clauarij.
Forte manus vicini auidas, metuaſuè rapaces
Eſt tibi cęca ſtruat fidus qui clauſtra, ſeraſq;
Vt capias dulcem nocturna à fraude ſoporem,
Nec tua ſuſpecti conturbent gaudia fures. — Clauſtrarij.
Qui trutinas æquo ſignant, qui examine rectas,
Suſpenduntq; pari patulas diſcrimine lances,
Luminis, atq; manus tanta eſt induſtria cautæ
Seminis exigui valeas expendere granum: — Trutinarij
Præuia non dum Aurora Polo dimouerit vmbras,
Cum famulos pernix ſolitas exercet ad artes
Qui lychnos facit ardentes, vigileſq; lucernas;
Flammanti hic reparat nocturnas lumine menſas,
Hic veſpertinis reſerat ſua tempora chartis,
Et comes accedit genialis ad ocia lecti — Lychniarij.
Qui globulos buxo, vel duro ex oſſe rotundet
Innectatq; pias precibus, votiſq; corollas,
Vt vacet à ſomnis ad Villas inter eundum
Soluere vota Deo, voces & Virgine dignas — Corollarij.

Promere,

Promere, Virgineum numen quæſiſſe ſecundum,
Hic limas, tornumq; , rotas ceſſare recuſat.
Tornarij. Verſantes agili ſunt lenta manubria Torno,
Læuia qui formant acri piſtilla Moreto,
Et ſine quo numquam laudatur menſa ſalinum;
Fiſtula diuini decus auget Nectaris arti,
Aſſeruata cadis fundit quæ vina picatis.
Olitores. Si leuiore paras menſam diſponere ſumptu,
Hortenſeſq; dapes venienti apponere amico,
Aſpice olus tenerum omnigenum, diueſq; macellum;
Accipe ventroſa coniux quòd præparet olla,
Cenſeat aut fuſca melius coxiſſe patella,
Incocto aut auidum ſoletur gramine ventrem.
Cerdones Fornice non vno Cerdonum turba reſarcit
Hos crepida mulier lacera formoſa frequentat,
Virq; lutum admittit cuius iam calceus, atq;
Scrupea veloces vexant faſtidia plantas.
Alearij. Alea blanda ſuas fundit deſpecta querelas,
Extremoq; dolet poſitam ſe limine, quando
Ingenium exacuat velox, ſomnoſq; volucres
Arceat, vt loculos victus ſuſpirat inanes;
Ad noua victoremq; petit certamina fallax.
Inſere lacteolo calathum Cirrhæa lacerto
Et paulum lętæ mihi per decliuia vallis
Iungere, dum rapidus terris deferueat æſtus;
Ingentes ſpectabis opes, herbaſq; virentes
Carpſeris; hinc patriam multum recreata reuiſes.
Perpetuo Cymini peramænus fontibus amnis
Perfluit irriguus ſyluam, vallemq; ſonantem,
Vnde tulit nomen Megarenſis Braſſica, namq;
Vallis nomen habet Megare hic humore fluente
Braſſica conſurgit ſacris celebranda Poetis,
Aemula cæleſti Ambroſiæ, dapibuſq; Deorum;
Difficilem virtute valens tardare ſenectam,

Flo-

Florentemq; genæ iuuenili augere decorem : | Piſtrina.
Riuus vbi cultos Megarenſes perluit hortos,
Reddidit,& gnauo poſtquam ſua vota colono;
Commoda Pilumno præbet, qui terna molendis
Frugibus elegit loca, curua fluenta ſecundum:
Strenuus huc pinſor Cereris deferre paratus
Dona, vias propere rudenti luſtrat aſello,
Matronaſq; iuuat niuea repetiſſe farina. | Officinæ Ferrariç.
Aſt officinas Vulcanus condidit amplas,
Bronteſq;, Steropeſq; & nudus membra Pyragmon
Aſſiſtunt, verſantq; tenaci forcipe ferrum,
Ictibus vmbroſç reboant per deuia valles,
Flumineoq; metalla lacu candentia ſtridunt,
Ponderaq; hic cernes extenſi ingentia ferri. | Officinæ æraríæ.
Haud longe æra liquent ardenti fuſa camino;
Accipiuntq; ſuas à dura incude figuras,
Vſibus innumeris in primis apta culinæ. | Officinæ armorum
Officiua patet, foribus Mars aſtat apertis,
Aegide vbi horrifica clauduntur pectora bello,
Aerea tunduntur tumidiq; foramina Bombi,
Induitur miles conos, galeaſq; comantes;
Vt ferro præcincta cohors ad prælia fortis
Emicet, inuiſum contemnes cominus hoſtem;
Barbara neu metuant Italæ tentoria Turres.
Viſceribus direpta ſuis per tempora pellis | Coriarij.
Balantum, Bubuliq; gregis, ſoboliſq; Caprinæ
Ac reliquæ ſua tecta tenet, manibuſq; citatis
Debita per ſpatia, & madido curata labore
Ad multos hominum placitus concinna paratur.
Sunt loca ſpeluncæ in morem ſic repperit vſus | Puluerarij.
Puluis vbi pyrius ſolerti tunditur arte;
Tantaq; melliti reſpondet copia quæſtus,
Sufficiant vt vix operi, licet vſq; laborem
Protendant, ſtudio iungant noctemq; diei:

Horum ſæpe vides operà quàm multa referri
Pondera, Venator quæ ſylua ſtrauit in alta,
Et volucrum magnas paſſim pendere coronas.
Chartarij Multa ferunt multis hic pingues commoda chartæ
Conficiuntur enim bibulæ, ſed non tamen illæ
Quæ calamo excipiant celeri, libroq; notanda,
Hoc vires fugiunt laticis, naturaq; Vallis,
Deteriora etenim commiſcet ſtagna lacuſtri.
Acutores Exacuunt alij cultros, volucriq; rotarum
Suſtentant curſu vitam; nitidamq; ſecurim
Agricolæ & falces modico ſub tegmine curuas
Concinnant, remouentq; obtuſos cuſpide dentes.
Lauacra. Publica formoſis ſunt facta lauacra puellis
Securo ſecreta loco, ne forte proteruus
Occurrens iuuenis turbet niuea ora rubore;
Inde niui referunt certantia lintea canæ.
Gurgites. Poſt ea limoſi procedit gurgitis ordo
Huc ſe fęmineę mergunt ſine more cateruæ
Pube tenus, mutuaqꝫ petunt ſe aſpergine lęte,
Tempore lina ſolent vndis quo mollia reddi;
Mox tenuata colo telæ vertuntur ad artes;
Lina quidem Pharijs non conceſſura nitore.
Prata. Hinc properans ad prata vagis diffunditur vndis
Riuus & obiicibus quaqua de parte remotis
Spargitur, & largo ſaturat ſitientia fluxu;
Paſcua ruricolis pariant vt larga iuuencis;
Mitia iumentis brumali pabula nocte
Gramine deſecto; quod ſi torrentur ab æſtu,
Non paſtor ſtudioſus abeſt, qui protinus vndas
Aequoribus vitreas amplis inducit, & herba
Exigit vt tempus, veſtitur Terra virenti.
Aurea Pympleam reuocant à gramine tecta
Vt blando Molis paulum ſpatiata per almæ
Lumine ſtructuras, vultu ſolata relictas,

Diuini repetat, greſſus ad gaudia ruris.
Hic venerabilium cultu, geſtuq; verendo
Presbiterum floret cętus, quos cura ſalutis
Præcipue populi, Templiq; aſſiſtere tangit:
Moribus ingenuis, animo, exemploq; decoro;
Condita mente tenent quæcunq; volumine ſacro
Traduntur, ſeruanda pio per ſecula ſenſu:
Pectoribus ſic pura ſedet mens omnibus vna,
Angelicis manaſſe choris quis deneget vnquam?
Antiquæ laudes Patriæ cum nomine famam
Maxima, cui titulos auget reuerentia Legum
Sanctarum geminat ſpectabilis aura Virorum:
Hi genus extollunt, veluti radiantia cęlo
Sidera, per patrios diſcurſus fronte coruſcant;
Conſultore carent nunquam, nam ſparſa per omnes
Fama ſinus, tetricos ad limina nota clientes
Cogit, & auditos animo meliore rimittit.
Agmina Scribarum celſæ, ſolidæq; columnæ
Hos prope collucent patrię, decora alta beatæ,
Illorum diſtincta notis contracta leguntur,
Et quæ ſuprema clauduntur condita mente,
Conſtanti ſignata fide cuſtodia ſeruat.
Iam toto fulget Pubes pulcherrima tractu
Venatu aſſiduo, rebuſq: exercita duris;
Ocia non illi, non pigri ignauia ſomni
Non vani luſus, aſt qui mox tempus in omne
Ingenuos reddunt agili cum corpore ſenſus.
Nititur & ſtudijs alijs animoſa iuuentus,
At laude extolli merita vix poſſe videtur
Quàm digne excellat tragicis celebrãda Cothurnis;
Quàm ludat Socco pernix; cum carmina anhelis
Diuini Vatis ſunt præſentanda Theatris:
Egregios mitte ornatus, ſcænaſq; ſuperbas;
Fronte lepos dulci, tanta enitet ore venuſtas,

Presbiteri.

Iuriſconſulti.

Scribæ.

Pubes.

Tragędi.

Redduntur tanto confiđa Poemata geſtu,
Contigit & quondam, admirans vt cederet Auđor
Principibus placuiſſe Viris fęliciter illi
Natura, ingeniumq; dedit, palmamq; referri.
Proles numeroſa. Qua flectas plena eſt omnis vicinia prole
Infantumq; greges fęcundo ſemine matrum
Quæ ſimul accenſæ venientis odore mariti
Concipiunt, fętumq; fouent, fotumq; remittunt:
Hoc Cereri, Bacchoq; dedit clementia cęli.
Vxores. Conſorti mulier caſtos ſeruans Hymenęos
Pingit acu, telaſq; parat, ſobolemq; parenti
Reddere conatur ſimilem, legeſq; tenaci
Coniugij ſeruare fide, nitidoſq, penates
Tutari, modicę natos aſſueſcere cęnæ,
Et parca tractare manu quæ parta labore.
Forma muliebris Præterea tanta eſt muliebris gratia formæ,
Vt Venerem Paphia licta tellure puellas
Excoluiſſe putes, placitos iunxiſſe lepores:
Illaqueant oculis etenim, facieq; venuſta,
Ore verecundo reſonant hilari atq; modeſto.
Mercatus Saturni memoranda dies, cum protinus altis
Vexillo, Præconis onus, fulgente feneſtris,
Omne forum feruet peregrina merce refertum;
Præcipue confert tunicatas Fabrica cępas
Tempora quot valeat præcingere Tuſcia tota.
Piſtoria Eligitur caute Cereris qui dona miniſtret
Sedulus, & dulci placet ieiunia pane:
Immenſoſq; volunt ſeruari farris aceruos,
Mitia ne plebi deſint alimenta loquaci;
Neu quos dira fames cruciet, paueatq; viator
Auxilio caruiſſe cibi deſeſſus opimi.
Lanienæ. Quicumq; ad carnes, laniataq; viſcera pergunt,
Vt varia apponat prudens opſonia coniux;
Commoda mirentur populi, ſtupeantq; neceſſe eſt:

Pinguia namq; patent anni pro tempore quo vis
Limina, quippe ſatis ſemper factura palato
Robuſti, aut morbo interdum languentis acerbo.
Aſpice quæ dulci geminæ dant ære tabernæ
Aequoreo condita ſale, oblectabere prorſus, — Salſamentar.æ.
Atq; neges alibi ſimiles, nec dicere promptum
Singula, quæ accerſunt diuerſo à littore, cernes
Huc vnctos properare coquos, huc ruſtica ſemper
Agmina, & à quæſtu nunquam ceſſare recenti:
En tibi piſcoſo deſumpta cibaria Ponto;
Munera candentis metataq; lactis in orbes;
Et generis quodcunq; ſues farcimina poſſunt.
Hac iter ad Petri ſedem, Romanaq; tecta — Cauponæ
Gallia tota tenet, Germania, cunctaq; demum
Occiduo regio, & Boreali ſubdita cęlo;
Plurimaq; Heſperiæ quam perluit Adria raucus,
Aſſuetuſq; malo Ligur, Alpinuſq; niuoſus:
Ergo hic accipitur peregrina ex parte viator
Mollibus hoſpitijs, tum diuerſoria lętus
Nota petit, repetitq; , gradus ſiſtitq; libentes:
Fronte, toro demum, ac Baccho recreatus ab almo
Fidus agit grates; alacriſq; ad ſueta viarum
Roncilionæos tollit ſuper aſtra penates.
Huc videas equitum turmas, volucreſq; Quadrigas
Per tritos peditum calles, feruente caterua,
Accelerare loci mira dulcedine captas.
Excitat à patinis famulos, plerumq; cubili — Tabellarij.
Mutatis qui currit equis, vbi buccina ſignum
Quadrupedes rapidos dat curſu ad munia ſterni:
Littera Gallorum celeri tranſlata Veredo
Magnanimi Regis crebra præteruolat hora.
Hiſpanis perſępe vides, qui miſſus ab oris
Romula feſtinat contingere limina curſor,
Nuncius haud ſegnis Ligurum calcaria figit,

Ne ſua Res lentos incuſet publica curſus.
Hippopera Inſubri grauidis ſtipata tabellis
A regione venit, trepidos imitata volatus.
Saturni, Martiſq; die comitatus equorum
Ingenti numero præclara egreſſus ab Vrbe
Nomina quæ à dulci meruit fęlicia flore,
Nectareo tranſit ſparſis humore labellis.
Quæ fuerint ergo ſinuoſum geſta per Orbem
Accipiunt rerum Ciues ardore nouarum;
Alterno accepta inde alacres ſermone volutant,
Inuicta ignotis mulcentes pectora rebus.

Suburbia.

Egredere antiquis ad tecta recentia muris
Limitibus cernes ſpatioſa Suburbia rectis,
Regaleſq; domos, vacuas faſtigia ad auras:

Minores Diui Franciſci.

Sub medium fratres Franciſci fana locarunt
Ritè obeuntq; horas, vulgò dixere Minores.

Fratres Diui Augu.

Aedibus extremis ſtadio iam penè ſecundo
Chriſtiparæ templum excelſum de nomine Pacis
Virginis, extructum veterum pietate Parentum;
Hic Auguſtini reſident de dogmate fratres,
Exempla innocuæ præſtantes candida vitæ:

Mercatus Diui Bartholomęi

Solennes habet hic Aras & Bartholomæus,
Corpore qui pellem laniato pertulit audax;
Feſta dies agitur, multiſq; emporia rebus
Implentur, celebrantq; locum cum ciuibus omnes
Finitimi, celerum curſu certatur equorum,
Amplaq; Olympiacę ſtatuuntur prętmia palmæ:
Quiq; pedum curſu præſtet, quiq; arte paleſtræ
Experiuntur, habet ſua lætus præmia victor.

Cucullares.

Paruula frondoſo poſuerunt mænia luco
Oblongo fratres referunt qui nota Cucullo
Nomina, cęleſtes imitantes ordine cętus:
Religionis amor, Templi nitor, arcta ſupellex
Præcipuę curæ eſt, & amor neglectus habendi;

Grata

Grata Deo hos inter paupertas ſobria fulget,
Et mira inter ſe pietas, ſtudiumq; iuuandi:
Hos adeunt triſtes, abeunt mærore leuati,
Hi preſſos tollunt animos cęleſtia ad alta,
Mellifluo ore ſonant, turbataq; pectora mulcent,
Et patris Aſiſij referunt veſtigia tandem.
Conſita diuino ſtudio iam rura ſuperſunt, Prædia.
Hæc ſileat, quemcumq; ſacrę ad conuiuia Muſæ
Admiſiſſe negant, latices guſtaſſe beatos,
Et cinxiſſe ſacra fulgentia tempora Lauro;
Non labor in tenui, tenuis non gloria ruris
Roncilionenſis qua præſtat rite Colonus,
Aſcręo celebranda ſeni, vel frigida cuius
Parthenopęus habet ſeceſſus buſta Maronis:
Vertumnum hic Pomona cupit formoſa maritum,
Non vno decepta loco; ſed lumina quauis
Intendas, habeas ſpecie ſtupefacta decorum:
Lucius inſigni, celeriq; Colotius arte Horti Colotij.
Talibus inſtructos referens ornatibus hortos
Conſerit, intexens formis Topiaria pulcris,
Admiſſos retinens oculos dulcedine mira;
Inde vbi rixantes denſa de ſepe puellas
Ob foculum riſit, ſubreptaq; ſaxa lauacro,
Roſcida decerpit ramo ſua poma feraci;
Heluelliſq; hortus lectis quas ſuggerit halans,
Sępe Serangelium ad cęnas inuitat inemptas.
Alma Ceres raptæ quærens obliuia Natæ, Fruměta.
Indignas lacerata genas, iactata per omnes
Quas norunt homines Terras, perq; inuia luſtra
Repperit hic demum triſti ſolamina curæ:
Hos Bacchus colles, delectæ hæc munera terrę Vites.
Fęcundas longo diſponens ordine vites,
Nectareoſq; trahens recreantes corpora ſuccos,
Eſſe ſibi voluit proprios; reliquaſq; patentis

Orbis fraterna luſtratas lampade partes
Cedere, & egregio victas aſſurgere honori.
Pomaria. Fętibus incuruat ramos fęlicibus arbor
Plurima frugiferos, incurua falce retonſa
Agricolæ illuſtris, cura ablaqueata decenti:
Ante Poli numeres rutilantia ſidera celſi,
Aut nemorum frondes, Neptuni aut mõſtra tumẽtis
Omnia pomorum numeres quàm nomina; Tellus
Quæ parit alma, ſuo cultori grata quotannis:
Meta erit hæc, quæcunq; legit ſub cardine diues
Inſitor, aut ſolers fragrantis cultor agelli,
Quæ ferat Autumnus, feruens quæ mitiget Aeſtas,
Purpureo, viridi, aut flauenti poma colore,
Arboribus fulgere ſuis: primaſq; ſaporis
Deberi laudes, victrices inde Coronas,
Climata perpetuum Terræ perq; omnia nomen.
Inculto hæc potuit modulari carmine Muſa,
Territa ſollicito, & pectus concuſſa pauore,
Viribus haud validis quòd onus deſumpſerit impar,
Pectora magnanimum exhorrẽt quod fortia Vatum
Epilogus. Multa quidem Patriæ ſtellantia lumina Patres
Eximij fateor clarę debere ſuperſtes,
Spiritus & poſtquam defunctos fugerit artus:
Non leuis officijs referenda eſt gratia tantis;
Succubui meritis; mortali haud poſſe rependi
Quis neget ore vicem? animi hęc per ſęcula grati
Argumenta mei quamuis tenuiſſima, fronte
Quæ ſolet ætherea faciles agnoſcite; quod ſi
Mentibus excelſis caſu munuſcula ſordent,
Paruula, nec magnis reſpondent carmina rebus,
Excluſo pateat fine officioſa voluntas;
Auſpicijs quæ addicta tenet præcordia veſtris:
Et quando optatos intrauit cymbula portus,
Non iam vela fretum trepidans miſſura per altum,

Hæc